


LVNÆ DIE 14 M. DECEMBRIS A. 2015

A.d. XIX Kal. Ianuarias a. MMXV

I 8 9

M E L I S S A



FOLIA PERENNI LATINITATI DICATA

AVSPICIIS DOMVS ERASMIANÆ ET ACADEMIÆ LATINITATI FOVENDÆ

SEXIES IN ANNO EDITA

EDITOR RESPONSALIS
Gaius Licoppe

REDACTRIX
Francisca Deraedt

Rue des Aveugles, 14 A, B - 4210 Marneffe.

Tel. + 32 (0) 475.47.55.18 / g.licoppe@skynet.be / www.fundatiomelissa.org

Bureau de dépôt : 4210 Burdinne - n° d'agrément P912128

DE EVENTO NVLLI PRIORI PARI

- scripsit Gaius Licoppe -

Anno 1940, cum novem fere annos essem natus, Germanorum exercitus ex abrupto irrupit in Belgicam; eorum aeroplana cælum occupabant et populum terrebant bombis huc illuc deiectis. Vetus Nivelles (*Nivelles* in Belgica) centrum, ubi habitabat avia mea, bombis incendiariis deleverunt; illa anus sub domo confracta pæne periit et ex urbe pedibus fugit, nesciens quo iret.

Magna pars populi Belgici perterrita per vias fugiebat ad Francogalliam omni genere vehiculi vecta, vel etiam pedibus. Familia mea quoque fugit ad Aquitaniam, ubi pater bonum habebat amicum. Bis in hoc longo itinere pater hospitalitatem petivit in aliqua privata domo; domini, cum matrem viderent fratrem sesquianno natum bracchiis ferentem, commoti nos humaniter domum suam receperunt.

Vix, re vera, aliqua similitudo inveniri potest inter migrantes illius temporis et hodiernos.

Duo sunt immigrantium fluxus, unus ex Africa, alter ex Proximo et Medio Oriente; magna est gentium diversitas a Syriis ad Africanos; præterea permulti homines ex utroque fluxu sunt mahumetani; inter eos etiam sunt feminæ nigram vestem *burka* gerentes, oculis inter exiguam rimam tantum visibilibus. Non solum fluxus sunt frequentes, sed videntur esse sine fine.

Solum cor lapideum non commovetur aspectu illorum virorum, mulierum, senum et infantium quoque, qui post longum periculosumque iter, multis in itinere perditis, in Europam tandem perveniunt exhausti et omnibus necessariis rebus orbat. Quis non sentiat eos esse iuvandos et humaniter recipiendos?

Cogitandum tamen est quale auxilium præbere possimus pro viribus nostrarum civitatum, ubi iam tot homines labore quæstuoso carent.

Belgica una est ex quinque civitatibus, quas immigrantes petere libenter cupiunt, cum prænuntiatae sint ut maxime hospitales.

Qui migrare cupiunt, magnum pretium solvere debent scelestis hominibus, ut iter parent; isti autem de migrantium securitate omnino non curant, ita ut præsertim in maris traiectu multi pereant demersi. Tam lucrosus est hoc fraudulosus negotium, ut isti rem conentur quam diutissime protrahere; quare præconium faciunt usque in Afghanistaniam et Pakistaniam, homines falsis promissis incitantes ut patriam relinquunt.

Non sine causa Syrii patriam relinquunt; bellum enim civile ibi iam complures annos sævit, magnæ urbes ut Berœa (*Alep*) deletæ sunt et recentius magna Syriæ pars occupatur ab insanis crudelibusque tromo-

cratis qui se Rem Publicam Islamicam profitentur. Syrii ergo merito habentur ut fugitivi; idem tamen dici non potest de Afghanis et Pakistanis, qui eo migrant, quod eis promissæ sunt meliores vitæ condiciones in Europa.

Belgicus administer publicus Theo Francken, cui curandi sunt immigrantes, a diurnariis diarii *Le Soir* interrogatus declaravit hæc: «Omnibus perpensis, ait, opes civitatis nostræ adventum 250 fugitivorum maximum cottidie sustinere possunt; ultra, ad incognitum imus. Nunc iam plures accipimus pro rata parte frequentia nostræ populi, quam Germania. Mille loca, ubi fugitivi commode accipi possunt, singulis septimanis aperiuntur... nec finem videmus. Numquam tantam multitudinem tractare debuimus. Somniatores apud nos sunt, addit administer, qui pactionem contra naturam facere velint inter socialem democratiam et *Islam* conservativum; at nostrum regimen non vult consilia Sæculi Luminum, cuius heredes sumus, prætermittere; non transigemus controversiam de æqualitate mulierum et virorum, neque tolerabimus *burkini* in natabulis publicis.»

In diariis legimus maiorem partem incolarum civitatum occidentalium multitudinem immigrantium timere, cum in quattuor civitatibus orientalibus, quæ vocantur «globus a Visegrad» (v4), scilicet in Polonia, Bohemia, Slovakia et Hungaria, regimen suam fugitivorum partem pro rata statutam accipere non velit. Hac in re Hungaria propugnat; eius princeps administer, Victorius Orban, dicit Hungariam mahumetanam imperii Ottomanici dominationem nimis diu esse passam; qua de causa mahumetanos accipere non vult, qui nolint cum incolis catholicis commisceri.

Immigrantes ex Africa non sunt re vera fugitivi, sed e regionibus pauperibus oriundi sperant se melioribus vitæ condicionibus in Europa fructuosos esse. Magno accepto pretio, scelesti homines eos ducunt ad litus maris Mediterranei per Libyam anarchia debilitatam; eos nimis frequentes in caduca navigia imponunt ac multi merguntur in traiectu.

Comperimus ad concludendum tranquillitatem in Europa Occidentali præsertim a mahumetanis perturbari. Nostræ civitates bellum, adhuc tantum aerium, gerunt contra fanaticos; ubique timendi sunt ictus tromocratarum mahumetanorum. Non mirum ergo, si frequentia eorum inter immigrantes metum incit nostris civibus. ☺

OLYMPVS SIVE DE IMPENSA CRIBRANDA

– scripsit Marcus Cristini –

Ergo sollicitæ tu causa, pecunia, vitæ!
(Properti Carmina, III, 7, 1)

Dii deæque, cum multa per sæcula mortalium sortes palam vel clam rexissent et humanitatem, modo libentem, modo invitam, ad ævum machinis studiisque illustre duxissent, magna cum lætitia senserunt iam mortales cælestibus minime indigere, itaque otio merito (saltem divina opinione) postremo frui potuerunt. Iuppiter meteorologiæ studiis totum se dedit, Iuno Carthaginiensi historiæ, Pluto siderali disciplinæ, Neptunus submergibilium doctrinæ, Ceres arti botanica, Bacchus Stoicæ philosophiæ, Apollo rhetoriæ arti, Diana Lunæ geologiæ, Minerva Græcæ philologiæ, Mercurius nummorum studio, Venus medicamentis faciei femineæ creandis, Vulcanus terræ motuum montiumque ignivomorum doctrinæ, Mars Romanorum exercitus annalibus. Vitam honestam, commodam, tranquillam, curis mundanis remotissimam agebant. Quam ob rem cælicolarum stupor vix describi potest, cum Iuppiter omnes Olympi incolas convocavit, ut eis de re maximi momenti et necessitatis diceret.

Primo mane cuncti ad aulam insignem, ubi olim de bello Troiano, de Ulixis fato necnon de Æneæ peregrinationibus disceptaverant, pervenerunt, satis anxii ob consilium tam inusitatum, sed nonnihil læti, quia post innumerabiles annorum series adhuc una coibant mundi fatum videlicet iudicaturi. Paulo post Iuppiter ingressus est Mercurio comitante. Ille chartarum fascem manu tenebat raptimque cum cælestium nuntio colloquebatur. Adstantes circumspiciens universos sedere iussit, deinde fari incohavit. «Amici immortales, primum vobis gratias maximas ago, quia, a cogitationibus studiisque vestris egregiis improvise revocati, nulla interposita mora huc advenistis. Verbose quam necesse est hodie haud locuturus sum. In exitiali discrimine versamur et nobis opus est quam celerrime factis, non sententiis vanis.» Paulisper siluit. Dii deæque eum intenti aspiciabant. Alius de catenis Titanum fractis cogitabat, alius de Gigantum rebellionem, alius de hominum inopinato impetu contra Olympum. Sors tamen cælicolis cladem multo peiorem intulerat. Iuppiter ingenti cum mærore fatus est: «Summatim dicam: pecunia exhausta est.»

«Quid?» una voce omnes clamaverunt. «Res ita se habent – inquit Mercurius – Olympi ærarium denariis indiget, nunc plenum est solum aranearum. Ædes novæ Plutonis, Minervæ Vulcanique onerosas auri summam consumpserunt; præterea Ludi Cælestes nuper celebrati ultimos nummos nostros ceperunt. Nunc alii denarii citius reperiendi sunt, aliter stipendia

heroibus, nymphis, satyris monstrisque solvere mox non poterimus.» «Nefas!» dixit Pluto, cuius domus (telescopio mole ingenti prædita) multa denariorum milia ex ærario deduxerat, quibus addendi erant nummi, opinione deorum, dolose ab Alectone filia et architecta ædium eius ablati. «Frater carissime, noli spem tam rapide amittere! Sæculis præteritis in pecuniarias difficultates iam incidimus et eas semper superavimus.» «Recte dicis, sed olim potentia nostra maior erat et ærarium paulum auri adhuc continebat. Hodie homines nos ignorant et thesaurus noster, ut dixi, tam vacuus est quam spatium inter sidera.» «Re vera spatium inter astra vacuum non est, cum multa insint...» «Frater, quæso, noli evagari! Si tibi consilium utile in mentem venerit, id dicas, si non, taceas!» «Pecuniam mutuari facile possumus.»

«Utinam sic esset!» inquit Mercurius. «Nemo nobis fœneratur ne nummusculum quidem!» «Dii Germanici nobis subsidio venient cum primum de istis ærumnis certiores facti erunt» dixit Venus. «Certe si cum Thoro dulce locuta eris, nos pecuniam statim accipiemus» sibilavit Iuno, quæ sciebat Thorum olim Veneri amore captum esse. «Si tu cum eo dulce locuta eris, miser Thorus certe tibi pecuniam dabit, ne vultum tuum iterum conspiciat» respondit acriter dearum formosissima. «Scelerata, nemo umquam talibus verbis deorum reginam interpellare ausus est!» «Dominæ deæ – inquit Iuppiter – lites inutiles sunt. Plutonis consilium sine sensu haud est, hebdomada præterita ad Valhallam me contuli pecuniarium subsidium quæsiturus. Cum Odino longe locutus sum, sed frustra.» «Frater, noli irasci, sed in te eloquentia par non est potentiæ. Certus sum sermonem tuum aliquantulum rudem fuisse.» «Pluto, ne tu quidem alter Cicero es! Præterea orationem meam Apollo Minervaque ornaverunt. Verba extrema satis memorabilia erant, licet mihi paulum dedecorosa. Nam diserta contione facta, sacramentis impensarum minuendarum plurimum iteratis, conclusi dicens: «Odine omnipotens, precibus si flecteris ullis, aspice nos, hoc tantum, et si pietate meremur, da deinde auxilium, pater, et hæc debita solve.» «Verba ista alicubi iam legi» dixit Iuno, sed nemo ei aures præbuit. «Num cognoscitis quod responsum acceperim? Odinus post silentii momentum dixit ‘Sera parsimonia in fundo est’ et me valere iussit.»

«Dii Teutones perfidi et avari!» inquit Mars. «Invidiosi sunt quoniam Romani nostri gentes Germanicas sæpe vicerunt.» «Comites divini, querelæ

pecuniam nobis non afferent» fatus est Iuppiter. «Nunc curare debemus ne quid Olympus detrimenti capiat. Qua de causa, non sine profunda animi inquietudine, consilium extremum cepi, quod salutem fortuna favente nobis proferat. Stipendia heroum, nympharum, satyrorum et monstrorum largiri desinam. Insuper ex die hodierno usque ad finem huius egestatis nummariae et illis vectigalia domibus, prædiis et hortis pendenda erunt.» Dii deaque valde mirati sunt. «Num stipendium quoque Æneæ abrogare vis?» ex eo quæsivit Venus. «Certe.» «Et Ulixis?» interrogavit Minerva. «Et ille nullum pecuniarium subsidium accipiet.» «Et Herculis?» rogavit Iuno. «Et illius, ut aliorum heroum.» «Euge!» respondit læta Tonantis sponsa. His dictis dii deaque abiverunt, certi callidam deliberationem pecuniæ egestatem feliciter finivisse.

Die sequenti Iuppiter prima luce repente somno experrectus est, cum extra palatium suum altum clamorem audivisset. «Iuno, quid est, quid accidit?» interrogavit oscitans. «Nonne nundinarum cælestium dies advenit?» «Minime, marite care. Hic est heroum tumultus.» «Quid?» «Nescio quomodo heroes, nymphæ, satyri necnon monstra de consilio tuo hesterno audiverunt et, nisi fallor, eis minime placuit. Itaque Olympus circumviverunt valde irati, ut dissensionem patefacerent atque legis abrogationem impetrarent.» Iuppiter, qui interea plane vigil erat, palluit. Vestibus cito arreptis ad mœnia Olympi perrexit.

Ibi Mercurium Plutonemque invenit turbam heroum furentium timidos aspicientes. «Igitur, quid faciunt, quid dicunt?» «Frater – inquit Pluto –, numquam tam multos viros, satyros monstraque circa Olympum vidi.» «Oblitus es nympharum» addidit Mercurius. «Quæ eiulatus horrendos ad sidera tollunt.» «Quid volunt?» «Facile intelleges si attente audiveris.» Iuppiter aures præbuit turbæ clamanti «Nulla vectigalia! Iterum stipendia! Melius in inferis quam sine nummis!» et alia similia. Postea deorum pater indignatione tremens spectavit tabulam latam, quam satyri exaraverant cum inscriptione DII = FURES. «Quomodo iam de consilio nostro notitiam habuerunt?» «Certe id Eris illis dixit» «Scelerata! Proditionis ream ab Olympo statim expellam!» «Frater, res maioris momenti nunc nobis sunt agendæ. Heroes satis minaces videntur. Eorum animos tranquillare debemus.»

Interea heros quidam turbam alloqui incohaverat. Iuppiter sententias aliquas audivit. «Primum in orbe deos fecit timor!... Virtus mea numen et ensis... Nunc age, nunc totis in me conitere flammis, Iuppiter! An pavidas tonitru turbare puellas...» «Vocem hanc nefan-

dam agnosco, locutus est Capaneus! Vultus est ipsius plenus furoris, oculi sceleris, sermo adrogantiæ. Rebellem continuo puniam. Mercuri, cito, affer mihi fulmen, ut sacrilegum comburam!» «Iuppiter, fulmina desunt. Omnibus reliquis usus es hebdomada præterita et denariis ad novos obtinendos caremus.» «Pro dolor, sic est! At si seditiosi hi arbitrantur me eos pavere, longe errant. Ego nec frangar nec flectar.» Illo temporis momento heroes nonnulli e turba egressi sunt Olympo appropinquaturi. Erant Achilles et Hector, Ulixes et Antinous, Æneas et Turnus, Hercules et Lycus. Una clamaverunt: «Nulla vectigalia nisi iuxta tribunalia!» «Quid dicunt?» interrogavit Iuppiter. «Puto illos ad tributa pendenda paratos esse solum si gregem eorum in nostris consiliis iudiciisque admittamus.» «Nefas! Nunc finem isti amentiae ponam.»

Hoc dicto Iuppiter in summa mœnia saluit et clamantes adlocutus est: «Heroes, nymphæ, satyri et monstra! Deorum consilia inanibus clamoribus non mutantur, itaque impero, ut vos quam primum domum redeatis et quod statuimus perficiatis!» Verbum «Minime!» reboans secutum est, deinde saxa, lutum, poma marcida et alia putrida contra deos iacta sunt. Iuppiter, qui crebro dixerat se numquam fractum nec flexum iri, postremo tumultuantium legationem, Capaneo duce, recepit, quæ heroum operistitium, divinorum honorum interclusionem necnon strepentem Olympi obsidionem minata est. Nec obsequium nec minæ profuerunt et post laboriosum colloquium legati et dii pacti sunt se stipendia integra retinere atque tributa solum prædiis amplioribus MM stadiis longitudine et MM stadiis latitudine imponere, nisi ibi frumentum vel arbores fructiferæ crescerent, exemptis heroibus, nymphis, satyris monstrisque in regionibus remotis viventibus vel ob siccitatem, imbres copiosas, grandinem, nivem curculionesve laborantibus. Congressione acta Mercurius acute dixit deos ne nummum quidem tributorum accepturos esse.

Quam ob rem vespere eiusdem diei dii deaque iterum congregari iussi sunt. «Novæ rationes denariorum colligendorum et impensarum minuendarum rependiendæ sunt» inquit Iuppiter. «Primum omnibus patet immortalium itinera ad mortales plura esse quam necesse est et sæpe sine causa fieri. Ad terricolas igitur proficiscamur solum necessitate cogente!» Iuno vehementer adsensit, fortasse cogitans de peregrinationibus mariti puellarum exquirendarum causa. «Deinde epulæ nostræ nimis luxuriosæ mihi videntur, ex die hodierno solum cum pane et fructibus ex hortis Olympi prandebimus.» Immortales cuncti gravi mærore affecti sunt. «Insuper (non sine animi afflictione hoc dico) fulmini-

bus non magis quam quinque pro hebdomada utar.»

Momento silentii elapso loqui perrexit. «Nunc necesse est nummos quam primum reperire, sine quibus cælicolarum gens vivere nequit. Si quis aliquid utile sentit, sine timore dicat!» «Quidni reliquias illustres, quæ aulas nostras stipant, vendimus?» inquit Pluto. «Bene dictum!» respondit Iuno. «Primum venale fiat rete, quo Mars et Venus capti sunt adulterantes.» «Deinde venalis fiat Iovis tunica, quam induerat cum Alcmenam amaret» addidit malevola Venus. Eris, cum beata discordiam sentiret et eam augere cuperet, e pera byssini sui pomum aureum traxit misitque ante deas. Verbum «Pulcherrimæ» super eo cerni poterat. Sed priusquam contentio inter deas flaravit, Iuppiter celeri manu id ceperat. «Pomo sumpsum pro hodierna immortalium ambrosia solvam.» Eris, perfidia pollens, statim dixit: «Re vera pomum ex auro haud est, sed ex orichalco.»

Lis acris inter hanc et Iovem orta esset, nisi Vulcanus aliud consilium statim proposuisset. «Modum certum pecuniæ concipiendæ inveni. Penitus sub Olympo fodiamus, saxa liquefacta adipiscamur et eorum calore utamur ad vim electricam proferendam!» «Res difficilior mihi videtur» Mercurius urbane respondit. «Fortasse melius esset si dii deæque negotium aliquod agerent.» «Num nos operarii tamquam viles mortales fieremus? Minime!» superbe inquit Mars. «Ferro non auro recipitur patria!» «At nobis opus est auro, non ferro.» «Igitur arma creemus! Vulcanus portas officinæ suæ iterum pandat et immortales omnes ei subsidio veniant, ut arma nova terribiliaque fingat. Mortales semper bella gerunt et machinamentis militaribus usque indigent. Iam cogitationes duas vel tres cum animo meo volvi et...» «Mars, pecunia ad officinam parandam deest. Insuper consilium tuum dubium mihi videtur» inquit Iuppiter. «Amici cælestes, timeo ne (horresco referens) sola salus nobis sit Olympum vendere.»

«Turpe et miserabile!» «Quis nos credat deos esse si Olympum reliquerimus?» «Hæc nec cogitanda nec dicenda sunt!» Deorum consilium magna confusione perturbabatur et clamor impediabat quominus Iuppiter loqueretur. Repente Minerva surrexit dixitque: «Mihi aliquid utile venit in mentem.» Conticuerunt omnes. «Amicus meus Orpheus pellicularum cinematographicarum moderator in Acrifoliis iterum atque iterum mihi suadere conatus est, ut pelliculam hic ageret, promittens denarios multos et famam haud perituram.» «Famam haud perituram patrare mea minime interest, at pecuniam accipere multum» ait Iuppiter. «Cur de hoc prius non dixisti?» «Pater, hæc est domus deorum,

non histrionum spelunca!» Sed Tonans nihil respondit, cum ratio ista magis magisque ei idonea videretur ad ruinam pecuniariam avertendam. «Fieri potest, fieri potest» mussavit. Posthac statuit, ut Orpheus invitaretur, at prius fratrem suum Plutonem, quem cinematographicus moderator imo ex corde oderat, cum illum reum offensæ adversum Eurydicem sponsam eius putaret, abire suggessit Sibyllam Cumanam visitaturum.

Paucis diebus elapsis Orpheus Olympi limina præterivit. Semitas montis universas calcavit, cælicolarum monumenta attente inspexit, cum deis deabusque longe locutus est. Postremo nuntiavit omnia sibi satisfecisse et se pelliculam suam libenter illic impressurum esse, sed artificibus scænicis nonnullis carere et qua de causa sibi postulationem faciendam esse. «Pellicula mea multo clarior fiat si heroes in scenam ingredientur. Nam spectatores tædet semper eosdem vultus videre, certus sum tales viros quales Achillem, Æneam vel Hectorem artifices scænicos expertos celeberrimosque fieri posse.» «Nescio, utrum illi libenter hoc munus perfecturi sint necne.» «Mea quidem impensa salaria eorum solvam et dii, præter summam ingentem pro Olympi conductione, subsidium nummarium accipient, ut stipendia aliorum heroum, nympharum, satyrorum et monstrorum sine mora pendere possint.»

Iovis oculi luce aurea fulserunt. «Paulisper opperire, quæso» respondit, deinde paulo procul ivit, Mercurio comitante. «Iuppiter, quid faciamus?» «Capaneum extemplo interrogabo.» «Ipsum scelestum deorumque calumniatorem?» «Ipsum. Solus est, qui heroibus suadebit.» Dein, sophophono capto, monitrum tactile rapide tetigit. «Ave, Capanee. Iuppiter sum. Audi, fortasse modum invenimus, ut inopiam pecuniariam superemus. Quid? Minime, nullum novum tributum imponemus. Nunc te de hoc, quod nuper accidit, certiore facio.» Rebus breviter narratis anxie herois responsum audivit. «Euge! Statim id Orpheo dicam. Vale!» Subridens Mercurium aspexit. «Salvi sumus, Capaneus pactum probavit spondens heroes, nummis acceptis, felices participes pelliculæ fore. Itaque ærarium nostrum mox iterum pecunia implebitur!» «Nihilominus debita adhuc solvenda supersunt nonnulla» dixit Mercurius, at Iuppiter eum minime curavit. Beatus dixit: «Magnus ab integro sæclorum nascitur ordo: redeunt Saturnia regna!» ☞

TIMOLEONIS DISCEPTATIO

– scripsit Daniel Blanchard –

...ε αρουρας ... και του...
 ...αρια και επερωτητα ωμολογε...
 ...τιμωλεων τω των...
 ...arouras ... et buius...
 ... et interrogatus respondi...
 ... Timoleon cui quorum...

(Fragmentum papyri, exeunte sæc. v post Christum
 natum, ex collectione auctoris)

Abire. Num re vera abeundum est? Num linquenda
 Amœna Ægyptiaca tellus placensque Nili vallis?
 Sic suadent et litterarum amor, et nocens vicinorum
 invidia. Agathocles servus iuxta me sedet et palmarum
 cacumina in zephyro mobilia fixa acie spectat. Suspirat.
 Gravi corde ambo sumus. Mox statuendum erit. Me
 sequetur dilectus famulus quocumque ibo, pater-
 namque domum propter me exsul linquet. An fas est
 eum æterna Ægypti luce carere, ut ferream frigi-
 damque Constantinopolim aulicus ego petam? Procul
 tamen a me, ait, vivere non vult. Quid ergo faciam?

Felices præterierunt dies pueritiæ, quibus inter
 parentes in prospera domo, at humili, vivebamus. Pater
 emit puerum Agathoclem ut serviret mihi, quinque
 annos natum, cum septimum ego annum agerem, atque
 magnam curam habuit institutionis nostræ. Voluit nos
 ambos litteris artibusque liberalibus imbui. Qua de
 causa nos præceptori (quem nos Græce solemus γραμ-
 ματικόν vocare), qui olim Alexandriae studia fecerat
 optimis cum magistris, credidit. Cum nullum fratrem
 sororemve sors mihi dedisset, Agathoclem plus comi-
 tem quam servum habui. Una enim licebat de philoso-
 phia, vel de musica, vel de litteris colloqui. Ille,
 Græculus adulescens, pulchra facie, gracilique corpore,
 aptus cantor veloxque in palæstra cursor, sine dolo
 fidelis, quem a remota Asia adduxerat pater, sub gene-
 roso Ægypti cælo crescebat, atque nunc maturis inge-
 nio viribusque florebat. Quam sæpe, quasi divino mys-
 terio quodam vocatus, iuxta me in tecto supinus reclin-
 navit, ut astrorum cursum coloremque una inspicere-
 mus. Una solebamus permixtis vocibus cithara canere,
 vel carmina antiqua quasi solemni ritu recitare.
 Baptismum, ne a me differret, accepit, atque patrem
 meum habuit patrinum. Eodem litterarum lacte nutri-
 tum haud semel fratrem nominavi, genitoribus non
 renuentibus.

Præceptori nostro, quamquam dives non erat, non
 deerant libri, undique quondam collecti, donoque
 accepti. Plus enim quam triginta volumina possidebat,
 quorum unum mira antiquitate ac insigni fragilitate
 erat, quod dicebat Hadriano imperatore regnante scrip-

tum esse. (Imperator ille christianus non fuit, sed
 tamen strenuus litterarum fautor, restitutorque
 Athenarum. Talem nobis det Deus liberalem imperato-
 rem, atque illi misericordiam concedat!) Sic potuimus
 ambas linguas discere, Græcam et Latinam, quarum
 fundamenta iam tradiderant parentes. Carmina elegan-
 tis Anacreontis, simul atque facilis Catulli, legimus.
 Arato canente siderum nomina didicimus; Augustino
 quondam Hipponensi episcopo docte disserente
 musicæ studuimus seduli, quasi artis dulcedine capti.
 Demosthenes Ciceroque exempla præbuerunt vividæ
 eloquentiæ, simul ac Vergilius Homerusque facundiæ.
 Ægyptus, cui terræ nihil deest, nos aluit atque vires
 auxit. Multa erant animalia, vel plantæ, quæ curiosum
 ingenium excitabant, et magister, qui nobiscum ambu-
 lare non dedignabatur, nomina virtutesque eorum nos
 docuit. O tempora feliciora, quibus in pace iuvenilibus
 annis fructi sumus!

Cum tamen attigisset Agathocles annum quintum
 decimum ætatis suæ, rus, in quo demorabamur, mihi
 parvum visum est. Magistrum itaque rogavi, quo oportet
 litteratos alumnos tendere, ut orbem terrarum
 lustrarent. Adulescens iam, illis lectionibus imbutus,
 quæ de gloria Atheniensium philosophorum, vel de
 nobilitate urbis Romæ, de prodigiis Alexandriae partis,
 necnon de antiquitate Troiæ Babylonisve urbium,
 incessabili verborum fluxu loquebantur, sentiebam me
 vastitudine terrarum convocari, compelli, cogi.
 Pulchrum patrium prædium videbam, et cogitabam,
 mente inquirebam quam urbem, quæ mcenia, quales
 homines invenirem, si per aliquot dies ambularem, si
 ingressus Alexandrinum portum navem ascenderem et
 navigarem ventis in mare devectus. Rogavi præcepto-
 rem, ut terram mihi illustraret. Geographiæ studuera-
 mus duobus annis antea, nec terrarum formæ plane
 ignorans eram, sed plura scire (ne omnia dicam) arden-
 ter cupiebam.

«Tibi legendus est liber Strabonis», ait, «nec tamen
 ille liber mihi est. Eum legi olim apud magistrum
 meum, cum eadem ætate ac tu essem. Strabo vero alio
 tempore vixit, et valde mutatus est orbis terrarum.
 Nescio quid tibi dicam.

– Fortasse alios libros recentiores in bibliothecis
 licebit inspicere? Nonne patrem rogare potes, ut nos
 Alexandriam ducas? Illa in urbe, sine dubio, omnia,
 quæ quærimus, inveniemus.

– Heu, Timoleon, heu! Alexandria nunc umbra est,
 nec talis stat, qualis olim fuit.

– Nonne dixisti magnam bibliothecam illic esse?

– Est certe, sed parum similis ei, quæ quondam fuit.

– Quid accidit?

– Haud semel deleta est bibliotheca. Illa, quæ æterna memoria floret, iam non est. Patebat omnibus discendi cupidis liberalitate regis. Post bella, dissensiones, tumultusque, perpauci supersunt libri primæ bibliothecæ. Episcopus posuit libros suos in eodem loco, nec dubitandum multos esse, sed nescio utrum Strabonis geographici libri adhuc inveniri possint, et a bibliothecariis libere concessum iri. Nostro infelici ævo iacent studia, nam homines malunt indocti rudesque ruri satures vivere, quam sapientiam in bibliothecis perquirere, atque videntur melius cuticulam curare, quam mentem. Doctos spernunt, odioque sectantur.

– Libenter ergo Athenas petam. Illic enim libros inveniemus. Nec desunt aliæ urbes libris nobiles: quin decus, caputque orbis terrarum petamus? Nonne libris abundat Roma utriusque linguæ?» (Sic compellebat iuvenis audacia loqui.)

«Heu, puer, heu! Iamne actarum rerum ita immemor es? Cecidit Roma. Heu, capta est Roma a barbaris, nec libris pepercerunt isti. Roma nunc præda iacet depopulata, nec est homo stultus satis ut illuc iam tendat. Athenas, necnon alias doctis viris celebres civitates quoque tenent barbari. Quid superest de Vienna, Galliæ decore? Quid etiam de Carthagine, ubi Vandali persecuti sunt ingenuos cives Romanos, atque bona eorum diripuerunt paucis annis abhinc? Nos miseros, eversus est orbis, quem amabamus, atque rari supersunt loci, quibus honeste vivitur. Exsules facti sumus in propria patria, quæ olim litteris artibus doctrina floruit.»

Agathocles tacite verba magistri audiebat. Vidi demissos oculos eius. Repentinus dolor me cepit.

«Nonne licet saltem unam urbem petere, in qua vivant litterati, cum libris suis? Quo exsules fugerunt Musæ?»

– Caput superest imperii, id est Constantinopolis. Dicunt urbem esse seditiosam, ferream, hieme frigidam nimis, totam pompæ potestatibusque deditam, omnium tamen doctissimam. Non soli theologi, ut Alexandriæ fit, eam colunt, sed etiam litterati, philosophi et poetæ, nec avaritia adeo sævit, ut non possis bibliothecis divitum uti, vel stipendium litteras exercens accipere. Barbari moenia frangere numquam valuerunt, itaque civitas referta est statuis, libris, imaginibus, operibus musivis, divitiisque omnium generum originumque, ut olim fuit Romæ. Si vere iter suscipere vis, et locum Musis studiosive propitium adire, Constantinopolim petas. Nunc quasi sola lux in imperio emicat.»

His verbis fatus, oculos ad Agathoclem verti, qui confortatus videbatur esse.

«Recte monuisti, magister, suadebo patri, ut sinat nos Constantinopolim petere. Sed heu, pudet tam multos homines doctos propius convenire, qui sum adhuc litterarum ignarus. Nec satis erit nobis auri, ut prospere adveniamus in Græciam. Patrem adloquar.»

Cogitabundus noctem degi: splendebat in somniis

urbs libris referta, tota sapientiæ artibusque dedita; sordebat autem, cum memineram civitates, ubi sedent principes, ab aulicis litigiosis superbisque stricte regi. Præsentiebam iter longum ac periculosum fore.

Sciebam præterea cælum non tam generosum in hac regione Græciæ quam in Ægypto esse. Cum tamen cuperem institutionem perficere, non erat aptior in toto orbe locus, quo possem litterarum sitim explere.

Die sequenti, collocutus sum cum patre, qui rem parum mirari visus est. Tristitiam male celavit, at proposuit ut agrum parvum quendam, qui ad prædium pertinebat, venderemus, ut tum pretium expectatorum librorum cum itineris longi impensa solveremus. Hoc fuit initium miseriarum nostrarum.

Ager, quem vendituri eramus, erat fertilis, sed admodum parvus, qui non ultra decem arouras continebat. Eum ergo dedit pater hereditatis partem, ut eum venum darem. Emptores duo ad me venerunt, primus scilicet vicinus noster, qui parum ætate provector me erat, et iam diu prædium suum agros emendo augere cupiebat, alter vero rector vel præfectus vici, πρωτοκομῆτης ut nostrates dicunt, qui integrum prædium, si licuisset, emisset, dives latifundii possessor ac semper plurium possidendorum cupidus. Hic tamen melius quam ille dedit pretium; agrum ergo accepit lætabundus præfectus, et solido auro solvit. Vicinus noster, quocum pueri ludere solebamus, nos postea salutare noluit, sed hac re sollicitiam non eram, quoniam expectatam acceperam pecuniæ copiam.


Sequenti die, magistrum rogavi, ut nos Alexandriam duceret, ut illic libros quæreremus emendos. Iter haud breve est: vivimus enim in Nili valle haud longe ab Heliopoli. Navem autem invenimus, quæ nos Alexandriam vehere poterat. Vicum patrium primo linquebam, atque urbem videbam magnam ac frequentatam. Ædes ingentes locuplesque ubique erant, necnon balnea publica (nos in vico parva balnea habemus, quæ plures quam duos homines recipere non valent), ecclesiæ, et, quam omnes miraculum orbis terrarum nominant, turrim insulæ Φάρου. Nesciebam tam altum ædificium fieri posse: ex nave prospexeram pyramides, inanes vanasque moles lapidum. Pharos immo utile opus, signisque proceris ornatum.

Civitas apte munita erat, prospera adhuc, cibis omnibus abundans; in sinu conveniebant mercatores, viri nobiles et otiosi, monachi, multi sacerdotes, matronæ, servi plurimi. Multæ linguæ audiebantur per vias, inter quas prævalebant Ægyptiaca et Græca. Haud raro audivimus homines Latine loquentes, qui ex Africa veniebant, sine dubio, ut ait γραμματικός, persecutiones passi et profugi nam Vandali, qui odio Romanos prosequuntur propter fidem catholicam, eos ex Africa omnibus bonis privatos pepulerunt. (Præceptor non valebat sine lacrimis de capta Roma atque Africa loqui.) Alexandriæ tamen omnes in pace vivebant. Morositatem insolitam percipiebamus, quasi

lassitudinem incolarum, qui declinare iam sentiebant urbem. Surdo timore barbaros exspectabant, et intimo corde orabant, ut Deus sibi fortem imperatorem concederet.

Gallicinio ex lecto surrexi ad libros inquirendos; bibliopolæ tabernas suas habebant iuxta magnam bibliothecam, quam primum visitare statuimus. Omnes, qui quondam urbem viderunt, dixerunt bibliothecam omnium refertissimam fuisse. Deleto Serapis templo, supererat librorum ingens collectio, quæ magis ad theologiam quam ad artes liberales spectabat. Præfectus bibliothecæ, qui parum pronus erat qui sineret visitatores bibliothecam libere ingredi, audito philosophiæ verbo, noluit nos introducere. Nec ullum noverat magister noster, qui nos commendaret præfecti benevolentia. Tristi animo ad raros bibliopolas tetendimus. Apud eos, infeliciter, viles libri erant: multæ numerabantur vitæ sanctorum rudibus litteris in codicibus malæ chartæ descriptæ, vel ἐγκώμια nobilium virorum. Nos alia quærebamus, et antiquiora. Volebam de animalibus Aristotelis libros, vel Callimachi carmina, nihil autem digni, quod legeretur, invenimus. Vespere appropinquante, venit ad nos homo, qui Latine loquebatur. Vir ille, Carthagine natus, quattuor annis Alexandriam incolebat, et omnem rem perdidit. Infelix duos codices antiquos ex bibliotheca sua proposuit vendendos, scilicet Ciceronis Rhetoricæ libros II cum scholiis Marii Fabii Victorini magistri et Plinii Secundi integram Historiam Naturalem. Miseri viri misertus, ambos codices emi membraneos, qui pulchris litteris erant inscripti. Doctrinam Græcorum veneram quæsitus, libros Latinos emeram. Satis autem fuit ut omnino felix essem. Plinius scripserat quasi totius orbis scientiæ compendium, librum utilissimum, de geographia, de plantis, de lapidibus, de animalibus... Omnes docti Græci nominati sunt in præmio operis. Secunda fortuna usus gaudebam.

In vicum nostrum reduces amicis vicinisque retulimus quæ Alexandriæ videramus prodigia. Rari sunt, qui pagum iam liquerunt, et ad urbem ierunt. Cum loquerer cum eis, animadverti levem invidiam, vel suspicionem. Plane intellegere non valebant, qua redomum agrosve paternos liquissem, quamve ob rem mihi ita cordi essent litteræ. Rudis erat condicio eorum, nec litterarum voluptatem capere solebant. Sequentibus diebus, parum e cubiculo exivi, tota mente ad libros nuper emptos attentus. Commentarius Marii Fabii Victorini me delectavit, magis etiam iuvit lectio Historiæ Naturalis. Qualis eruditio! Qualis homo fuit Plinius, semper omnium rerum, tam humanarum quam naturalium, curiosus! Ille vir, qui Romæ



ante multos annos vixerat, plura de Ægypto scire quam præceptor ipse meus videbatur. De Nili incremento, atque fontibus, docte disserebat; plantas et unguenta loci describebat, ut myrtum, olivas, linum, flores sine odore, ficos, persica, pruna, cuminumve; de fertilitate atque cultu agrorum nostrorum sine errore loquebatur, necnon de vinis Sebennyticis, de quibus ego Ægypti incola numquam audieram. Regionis historiam præterea haud ignoravisse videtur. Mores Alexandrinos describere non erat oblitus. O delectationem magnam! Post aliquot dies ambulationem volui cum Agathocle suscipere, ut eo adstante omnia quæ de plantis animalibusque didiceram propriis oculis observarem. Sic per integrum diem, caloris æstum spernentes, secundum fluminis ripam iter fecimus, herbas carpentes, docte disserentes, ferasque perquirentes. Super omnia volebam pisces insectave parva sponte ex aqua turbida nascentia videre. Agricolaë increduli nos otiosos adulescentes spectabant, opus suum breviter ponentes. Mihi videbatur orbis terrarum omnia arcana revelare velle electis suis. Præceptori nostro epistulam misi ut auxilio eius, peractis Pentecostes festis diebus, locos Plinii librorum obscuriores adhuc explorarem. Dies illa mihi etiam carior fuit, quod Agathoclem felicem esse percepi.

Post duos dies, primo diluculo, vehementer ad ostium domi pulsatum est. Pater properans ianuam aperuit. Aderat vici præfectus cum duobus armatis satellitibus:

«Ubi est filius tuus Timoleon?

– Adest domi, quid sibi vult?

– Magiæ accusatur.

– Quisnam eum accusavit?

– Tuum non est scire. Voca eum, ut nobiscum veniat.

– Quo ducetis eum?

– Domum meam.»

Vestes lente indui, atque satellites secutus sum, nec oculos verti ad pallentem Agathoclem.

Paucas horas in carcere mansi. Præfectus enim rem quam celerrime iudicare volebat. Satelles rudis ad me venit, et interrogavit de venditione agri, ac de libris

meis. Me cogere volebat, ut faterer, me venena paravisse. Scriba quidam ei adstabat, qui ficta verba, potius quam mea, scripsit. Nihil tamen infamis confessus sum, quamquam haud semel in me vi minisque usi sunt. Tunc sole declinante ieiunus deductus sum ad basilicam, ubi indignatione tumentes stabant nonnulli vicini, pulchris vestibus induti, cum tota domo sua, servis ancillisque. Ita didici accusatores meos (ne dicam calumniatores) non alios esse ac vicinum, qui ante sesquimensum agrum emere volebat. In prædio eius exiguam mortua erat capra, dicebat, at sine dubio arte magica consumpta. Multi vicini testificare poterant me domi libros magicos servare, et herbas colligere solere. Non prodest ratio ubi vis imperat: nihil dicere valui ut me absolverem. Rem refutavi, quid tamen dicendum erat eis, qui Plinium ignorabant et surdo odio vel invidia erga me urgebantur? Pæne statutum erat de sorte mea, iam sentiebam turbam occidendi cupiditate frementem, cum iudicem adlocutus est unus ex sacerdotibus vici nostri, nomine Leo, senex pius et ab omnibus veneratus. Qui lente profunda voce prædicavit nullam magiam in studiis meis inesse, qui bonus Christianus essem, rite baptizatus, ac timens Deum; reprobavit vicini invidiam falsaque testimonia refutavit. Territis agricolis prædixit calamitates iramque Dei, si periret innocens, famem atque pestes. Peracta concione eius factum est grave silentium. Præfectus hæc contra nihil ausus est proferre, et, Deo innumeras reddo gratias, me innocentem invitus declaravit, sed de nocentia inutilitateque studiorum irata verba evomuit. Vidi vicinorum oculos, odio simul ac timore plenos, ad solum versos. Pater paucis amicis comitatus domum me reduxit. In via Agathocles manum meam cepit, pressit, nec propter anxietatem laxare voluit. Omnes me moriturum arbitrati erant. Sacerdos, qui pro me locutus erat, ad me venit:

«Nihil male fecisti, mi bone. Vade in pace, et time Deum.» Tunc flere incepti.

«Pro te locutus sum, a magistro tuo vocatus, qui est mihi diuturna consuetudine notus. Nihil cupiunt isti agricolæ, nisi vicinum spoliare et divitias inhoneste augere. Adhuc pagani sunt, invidia superstitionibusque ducti, ac parum ad Deum verum proni. Scio eos clam idolas colere. Tu tamen, voluisti doctrinam studiaque perficere. Nullum malum huic rei inest. Quomodo bonos sacerdotes habebimus, nisi licitum erit studere? Noli ergo spem amittere, sed persevera, et libros lege. Veritas enim splendor Omnipotentis est.»

Gratias inexpectato salvatori persolvimus. Cœnam quasi funebrem sumpsimus, ego, mater contentis lacrimis luctans, commotique Agathocles, pater et fami-

liares, gratique amici, præceptor noster, atque pater Leo. Triclinium nostrum nimis parvum erat, ut talem convivarum copiam acciperet, nemo autem post similes ærumnas abire volebat. Vespere illo, verbis benigni sacerdotis omnes refecti sumus. Abiit ille iam multa nocte, nec oblitus est me, Agathoclemque nonnulla de stellis, anni temporibus et calendario docere. Tum ærumnis defatigati graviter obdormivimus.

Sequentibus diebus, intellexi vicinos nostros alia in me occasione data temptaturos esse. Sine dubio ligneos deos suos orabant, ut repentina febre perirem, vel scorpione tangerer letaliter serpente. Sensi ego, quantum eos spernerem, quanto tædio me afficerent, quantumque molestum esset inter indoctos malignosque vivere. Agathoclem adivi:

«Quid agas, si Constantinopolim abeam?»

– Pro te timeam. Dicunt enim conspiratores illic valde aciores esse quam in patria nostra. Callent Constantinopolitani insidiandi artem.

– Nolo in aula cum imperatore vivere.

– Quid agamus in urbe frigida, nos, qui assuefacti sumus magno Nilo, hortis, agris, solique splendenti?»

– Visne semper inter rusticos vivere?»

– Licet aliam præfecturam petere.

– Vis ergo in Ægypto manere?»

– Volo tecum vivere. Ubi bene eris, ibi erit patria mea.

– Dolor est agrum paternum relinquere, at volo doctior fieri. Nulla pax mihi erit studentem, nisi in magna urbe.

– Linquemus ergo pulchram Ægyptum.

– Nolo te cogere, ut mecum abeas, et domum, in qua crevisti, derelinquas. Te manu mittam, prius quam abeas. Patri meo filius eris, eumque curabis in senectute.

– Timoleon, vita mea est tecum vivere. Quam ob causam me emit pater tuus, ut tibi servirem.

Quocumque ibis, ibo et ego.

– Qua re ita loqueris? Scis te mihi plus fratrem esse, quam servum.

– Scio, et nolo te solum abire. Quid proderunt omnes Niliaci horti, te absente? Malo frigora borealia tecum pati, quam omnibus deliciis Ægypti solus frui.»

Tacui. Recte monuerat, dominus ego eram, mihi soli disceptandum erat.

«Mense Martio nave abibimus. Interea, bene amicorum præceptorisque monitis fruamur» dixi. Subrisit Agathocles. Nova lætitia mentes fovebat nostras. Litterarum tandem una officio functuri eramus. ☪

Mense Augusto, anno 2014°.

DE HOMINE EVROPÆO

– scripsit Gaius Licoppe –


Quando homo in Europa apparuit? Fere usque ad finem vicesimi sæculi homo putabatur non ante 600 milia annorum Europam incoluisse. Quo enim antiquiores sunt homines, eo tenuiora sunt eorum vestigia; non mirum ergo si inexpectatis inventis scientia palæoanthropologica non ita pridem renovata est.

Sed imprimis interrogandum est: quid est homo? Simples fabulæ Adami et Evæ aut Promethei iam diu non congruunt cum anthropologorum inventis; homo, qualis nunc est et qui se ipsum vocavit Hominem Sapientem, gradatim apparuit decursu longissimæ historiæ, quæ initium videtur habuisse in Africa ante sex vel septem vel etiam plures annorum miliones.

Secundum hodiernam classificationem scientificam homo, una cum gorilla, pan troglodytes (Angl. *chimpanzee*), pan paniscus (*bonobo*) et pongo (*orangutan*), pertinet ad familiam hominidarum, et ad partem quandam ordinis primatum. Inter hominidas tres singularitates decursu temporum gradatim apparuerunt, quæ duxerunt ad hodiernum hominem: statio bipes, incrementum cerebri et instrumentorum fabricatio.

Reliquiæ hominidarum, qui hanc historiam participaverunt, necessario sunt rarissimæ ac plerumque constant e minimis partibus, quare nondum sufficiunt ad certum hominis moderni stemma conficiendum. Novæ res, quæ ubique terrarum semper inveniuntur, conclusiones non faciliores reddunt, sed difficiliores.

Mirum est iam aliquid humani reperiri in antiquissimis vestigiis nonnullorum animantium, quibus cognomina data sunt, ut Ororin (Kenya, 12,5 miliones annorum), Toumaï (Tchad, 6-7 miliones annorum) vel Lucy (Æthiopia, 3,2 miliones annorum).



Toumaï

Commoti quoque sunt archæologi, qui, dum ingentem aream crateris sopiti montis vulcanii *Ngorongoro* in Tanzania explorant, annis 76-77 loco *Lætoli* pedum vestigia ante 3,7 miliones annorum facta invenerunt. Agitur de tribus hominidis generis Australopithecorum, qui iam ambulabant erecti et gressi sunt in recenti pulvere vulcanio postea solidato; pedis tamen vestigium nondum est humanum, cum pollex sit a ceteris digitis magis separatus et varus.

Australopithecus sunt hominidarum genus, quod apparet in Africa ante circiter 4 miliones annorum;

eorum reliquiæ, ad complures species pertinentes, inventæ sunt in Æthiopia, Kenya, Tanzania et Africa meridionali; capacitas eorum calvariæ est 430-550 cubicorum centimetrorum, maior ergo quam ea magnorum simiorum, quæ tantum est 350-380 cc.; solum vegetibus vescabantur. Australopithecorum genus extinctum est ante circiter duos miliones annorum.



Australopithecus

Ante 2,5 miliones annorum apparet novum genus, cuius calvariæ capacitas est amplius 600 cc.; iste animans staturam mediam 1,6 metri habet atque est bipes; supra faciem summæ calvariæ convexitas aucta est. Res nova: instrumenta fabricat silices percutiendo, quare primus vocatur homo, habilis cognominatus.

Homo Habilis primum detectus est anno 1964 in Tanzania, sed multæ reliquiæ etiam postea inventæ sunt in Kenya, Æthiopia et Africa meridionali; in tanta area non mirum si complures species inter se paululum dissimiles detectæ sunt.

Hic primus homo iam non est tantum vegetarianus, sed etiam carnem crudam comedendam eradit e mortuis bestiis, quas non ipse, sed magni prædatores illius ætatis venati sunt; cum eæ bestiæ dentibus totam prædarum carnem avellere non valeant, ille reliquias radit acie naturali silicum assularum. Homo Habilis etiam scit tuguria construere ac gregatim vivit.

Australopithecus in propria regione Africana usque ad extinctionem manserunt; Homines Habiles contra sine mora migrare cœperunt; eorum enim vestigia duorum milium annorum ætate anno 1980 inventa sunt loco *Yron* prope Ioppen (*Haifa*), i.e. in eo exgiuo transitu inter mare Internum et solitudines Arabicas sito, qui solus pervius est ad iter faciendum ex Africa in Asiam Minorem et inde in Europam.

Anno 1991 in Caucaso, sub fundamentis mediævalis oppidi *Dmanissi*, in antiquissimis fossis quisquiliis



Homo Habilis

proiciendis effossores inopinanter adspexerunt partem inferiorem mandibulæ, quam putabant esse alicuius simii; incerti tamen, effossionem stiterunt et palæoanthropologum accessiverunt; dum eum expectant, noctu ignem prope fossam fecerunt, ubi ipsi vigilaverunt, ne quis homo vel animal hanc singularem mandibulam raperet. Deinde totus dies non sufficit ad fragilem mandibulam e concreto solidoque pulvere caute extrahendam; postero die, adstantibus televisionis grege et rectore Academiae Scientiarum, tota mandibula tandem liberata est; dentes vero, quibus multum comperiri solet de genere animantis, concreto pulvere adhuc obtegebantur, quare res statim translata est in museum Georgiae urbis capitis, *Tbilissi*. Tam singularis erat mandibula, ut docti manerent sententiæ dubii.

Feliciter insequentibus annis in eadem area inventæ sunt quinque calvariæ, quattuor mandibulæ et viginti circiter alia ossa eiusdem animantis generis. Hæ reliquiæ pertinent ad quinque minimum personas amborum sexuum et variæ ætatis, quæ ante circiter 1,8 miliones annorum ibi vixerunt. Statura adultorum erat circiter 1,5 metri et cerebri capacitas 600-770 cc. Vivebant in Caucaso tunc humido et amœno, in cuius silvis et campis abundabant varia animalia, canes, vulpes, hyænæ, lynces, pantheræ, tigres, mammothi, equi, rhinocerotes, cervi, oryges, struthiones..., sed ad eorum antiquas species pertinentia hodie extinctas.



Homo Georgicus

Conclusiones horum inventorum tantum divulgatæ sunt anno 2002: ille homo, Georgicus vocatus, videtur interpositus esse inter Hominem Habilem et eius successorem. Homo ergo ante 1,8 miliones annorum iam est in Europæ limine, unde patet via et in Europam et in Asiam centralem.

Quis est Hominis Habilis successor? Responsum iterum incertum est propter documentorum egestatem. In Africa ab 1,8 milione ad 1 milionem annorum vivit novum genus, cui capacitas calvariæ fere est 850 cc.; vocatur Homo Ergaster, quamquam nonnulli hoc nomen recusant; Homo Erectus potius iam est, aiunt, quare necessarium non est addere genus Hominis Ergastri. Plerique tamen nomen Hominis Erecti reserwant hominibus, qui ab 1 milione ad 300 milia annorum vixerunt in Asia media et orientali et quorum specimina magis nota sunt Pithecanthropus Erectus, in insula Iava ab anno 1880 inventus, et Sinanthropus Pekinensis ab anno 1921 prope Pekinum inventus. Eorum capacitas calvariæ est inter 850 cc. et 1100 cc.

Quadringentis milibus annorum post hominem



Homo Erectus

Georgicum in limine Europæ inventum, eius successores incolunt Italiam. Nam anno 2006 nuntiatur ab archæologis, qui in Italia meridionali in spelunca *Cava dell'Erba* non longe a *Gargano* sita effossiones faciunt, inter frequentes faunæ reliquias inventas esse nonnullas siliceas assulas, quibus utebantur homines præhistorici. Aderant ergo homines in Italia ante 1,4 milionem annorum, quod omnino erat inexpectatum.

Ducentis milibus annorum post, homo in Hispaniam pervenit. Nam in Vandalusia in locis præhistoricis *Barranco León* et *Fuente Nueva* etiam inventæ sunt huiusmodi assulæ siliceæ, quarum ætas est circiter 1,2 milio annorum.

Ad Francogalliæ litus meridionale, in oppido *Roquebrune*, spelunca, *du Vallonnet* vocata, ab archæologis exploratur ab anno 1962. In sediminis strato, cuius ætas accurate definiri potuit, i.e. ante 1 milionem annorum, etiam inventæ sunt centum circiter assulæ siliceæ.

In Catalonia in area *Terrassa* vocata, strato 900 milium annorum ætate, etiam inventæ sunt similes assulæ.

In Italia, in Latio est locus maximi momenti, *Campo Grande di Ceprano* vocatus, cuius ætas est 780 milium annorum. Ibi anno 1994 inventa est summa pars calvariæ, vetustissimæ scilicet in Europa inventæ. Iam valde differt a calvaria hominis Georgici; propior est a calvaria Hominis Erecti. Assulæ eodem loco inventæ sunt paulo magis artificiose confectæ.

In Hispaniæ provincia Castellæ et Legionis, in alta fossa ad ferriviam ducendam excavata, detectæ sunt centum circiter reliquiæ humanæ in sediminum strato 800 milium annorum inclusæ; pertinebant ad adulescentes et pueros ab anthropophagis comesos, ut patet ex nonnullis signis: ossa enim sunt striata assulis, quibus caro erasa est, et ossa longa ostendunt fracturas spirales, quales solum sunt in recentibus ossibus; frangebantur enim ad medullam extrahendam. Homo Antecessor, ut ab inventoribus vocatus est, nunc habetur ut progenies Hominis Ergastri. Ab Homine Antecessore putantur orti esse Homines Neandertalenses et Homines Sapientes. Maxima difficultas in palæoanthropologia provenit e nimis raris ossibus inventis; quare ubique terrarum nunc perquiruntur ossa fossilia.

Pervenimus nunc ad ætatem, qua iam antea admittebatur hominis præsentia in Europa. In Francogalliæ meridionalis Ruscinensi regione (*Roussillon*) est spelunca *Caune de l'Arago* vocata, quæ sedimina continet æta-

tis ab 700 milibus annorum ad 100 milia; his nobis fingere possumus, quales fuerint flora et fauna intra longum temporis spatium, quo clima compluribus seu frigidius, seu calidius factum est. Hæc spelunca ab hominibus occupata est modo interrupto inter 600 milia et 100 milia annorum. Illic inventæ sunt reliquiæ humanæ et præcipue calvaria ætatis 450 milium annorum; calvariæ capacitas est 1150 cc. Ab eius inventoriibus vocatus est Homo Erectus Tautavelensis; recentius tamen palæoanthropologi putant hunc hominem potius fuisse præneandertalensem.



Homo Tautavelensis

Tanti momenti est spelunca *Caune de l'Arago*, ut iuxta creatum sit museum præhistoricum, quod factum est sedes Institutii Europæi Præhistoriæ.

Anno 2003 fortuito inventæ sunt singulares hominis reliquiæ in Indonesiæ parva insula *Flores*. Ille homo erat parvæ staturæ, circiter unius metri, atque etiam habebat parvam capacitatem calvariæ, 400 cc. scilicet, quamquam valebat bona instrumenta lapidea fabricare atque igne uti. Multum disputatum est inter doctos utrum ageretur de deformi Homine Sapiente, an de novo hominis genere. Propter mixturam proprietatum recentiorum et antiquiorum prævalet nunc thesis specifici generis, quod vocatur Homo Floresiensis et cuius atavus sit sive primitivus Homo Erectus, sive etiam Homo Habilis. Ille Homo in insula *Flores* ante 12 milia annorum demum extinctus est.

Propositum tamen nostrum hic non est de temporibus præhistoricis tractare; relinquimus ergo hominem, qui elegantia efficaciaque instrumenta lapidea nondum fabricat, qui nondum factus est bonus venator, neque scit igne uti.

Oportet potius nonnulla dicere de inventis scientiæ geneticæ, quæ palæoanthropologiam funditus renovavit. Progressus illius scientiæ tam celeriter fiunt, ut intra quinque novissimos annos maximi momenti nuntios accipiamus.

Totum genoma Hominis Neandertalensis restitui potuit ex particulis ossium inventorum, quæ non minus quam 50 milibus annorum antiqua sunt; illud genoma anno 2010 divulgatum est atque inde paulo post demonstratum est plerosque homines modernos in Eurasia (ergo non Africanos) in suo genomate inter 1 et 3 centesimas partes genomatis Neandertalensis habere, quæ constant ex parvis fragmentis non semper eis-

dem, sed ex 20% illius genomatis carptis.

Quæstio, de qua diu disputatum est, id est «fuitne commixtio sexualis inter Hominem Sapientem et Hominem Neandertalensem?», nunc habet responsum certum, mense Iunio anni 2015 in præstanti periodico scientifico *Nature* divulgatum.

Agitur de nonnullis ossibus duorum mixtiorum (quorum alter adultus, alter puer circiter 15 annos natus) anno 2002 inventis in spelunca *Pestera cu Oase* (spelunca ossium) in Dacoromania montibus; eorum antiquitas est circiter 40 milia annorum. Statim anthropologi animadverterunt mandibulam aspectum magis antiquum præbere, quam habet mandibula Hominis Sapientis; unus eorum ausus est dicere eam ad mixticiam pertinere, quamquam plerique hoc credere nolebant.

Recentissime tantum genomate ex mandibula extracto demonstratum est adultum, cui pertinuit hæc mandibula, atavum Neandertalense ante sex tantum ætates habuisse.

Genetica etiam monstrat genum *FOXP2*, quod regit ortum regionum cerebri ad linguas addiscendas spectantium, idem esse apud hominem Neandertalensem et hominem Sapientem, cum differat apud simium *chimpanzee*.

Nescimus num homines Neandertalenses locuti sint, neque magis scimus num ipsi homines Sapientes eiusdem ætatis locuti sint, sed ambo cerebrum habebant ad loquelam aptum. ☞

DE IVCVNDA FABELLA ALCHEMICA (III)

– *textum proponit Stephanus Feye* –

GYM. – Audite modo: quidam Aulicus Titanis filius, ultra fratris iniurias in templo nostro nobis illatas (ut audistis) alias ante Palatii portam, nedum in nos, verum etiam in proprium Principem suum, et Magistratum huius Urbis, imo quod magis est, in Scripturam Sacram ausus est effutire. Propter quas ad Principem ituris nobis, una cum aliquot Civibus est conquerendum. At quia caremus testibus, cuperemus affirmare vos audivisse Facetum ita loquutum esse, videlicet Principibus et Magistratibus obedientiam non esse præstandam.

BIB . et QUADR. – Aliudne a nobis cupitis fieri?

GYM. – Nihil amplius modo.

BIB . et QUADR. – Affirmabimus iuramentis mille si fuerit opus, ac omne quod iubebitis.

GYM. – Nunc ad Cives eamus, et rogemus ut nobiscum adire velint hac de causa Principem...

[Cum civibus ergo et falsis testibus istis eunt ad Principem, cui querelam suam exponunt. Hic, etsi eis non credit, tumultum publicum vitare vult. Qua de causa ambos fratres inseparabiles dimittit donatque viatico, ut extra Patriam Academiam quandam inveniant.

At subito, dum in itinere sunt, prosilit e silva Nympha quæ iam in somniis Sollicito parentibusque apparuerat. Cum ea festinant ut fratri Rudi valedicant. Postmodum ad Iratum carbonarium se conferunt. Hic sensus fabellæ alchemicus nobis melius apparebit...]

SOLL. et FAC. – Ad studium ituri hac iter facimus, ut vale tibi dicamus.

IRATUS – Doctores ambo fieri cupitis?

NYMPHA – Habeo hic prope Studium in quo veram doceo Sapientiam.

IR. – Ubinam?

NYM. – Sub rupe hac tibi contigua.

IR. – Nunquam vidi quempiam intrantem aut exeuntem.

NYM. – Quid mirum? Vix in centum annis contingit unum atque alterum huc pertingere. Non omnibus conceditur hoc loco Sapientiam addiscere, sed illis tantum quibus a Deo datum est. Et si millies mille hac transirent homines, huius introitum Scholæ non invenirent, nisi eos ego ducerem. Secretissimus est locus iste, quem vobis patefiam. Non prius tamen quam narvvero quinam illi, qui navare cupiunt operam in hoc studio, continere se debeant ac inde quid emolumenti reportent. Primo, qui huc intrare debent, amoto saxo per me hoc, transeunt hac. Sequamini me! Hæc est Aula, priorque locus Auditorii nostri, quem ut intrant qui promovendi sunt, exuuntur suis omnibus vestibus, et hoc lavacro lavantur mundissime. Postmodum

nudi balneum hoc splendidissimum intrant, hostiolo per me reserato sigillatoque postmodum, ne quispiam alius intret. Continuo calore per Promotorem excitato, sudant eorum corpora frigidissimum humorem emittentia. De cuius corruptione Scorpiones enascuntur, qui suis aculeis et caudis acuminatis corpora sudantium icta prorsus interimunt, vivo tamen eorum spiritu remanente per unionem. Quadraginta post dies, isti Scorpiones in Aquam teterrimam resolvuntur. Et ex istius Aquæ putredine corvus nascitur qui, ponens ovum, in Taurum tandem immutatur. Flatibus iste suis mitibus fovet ovum prius, ex quo Cignum avem candidissimam excludit. Ista, posterius ovum postquam posuit, in Leonem transformatur. Hic flagrantioribus flatibus ovum hoc fovet, Regemque potentissimum et victoriosissimum excludit. Hæc est summa processus huius.

At ut melius rem intelligatis, latius exponam. Sollicite, necnon tu Facete, si hanc suscipere provinciam audebitis, in Regem unicum ambo, victoria potentiaque Reges omnes terræ superantem, evadetis. Qui reliquos fratres vestros Reges, et Sorores etiam Reginas coronare poteritis. Nemo vincere vos, quantumvis potens, virtutibus aut Sapientia vos poterit excellere. Ditabit omnes quotquot volueritis pauperes, et eorum indigentis obvenietis. Nec propterea minus erit vobis. Imo potius magis ac magis abundabit. Nam de fonte hoc, vel balneo vestro, quoties cupiveritis infinitos exhaurire thesauros, erit liberum infra triduum, ac salutiferam ægritudinibus omnibus Medicinam depromere. Hac tamen ratione vos promovendos tantum suscipiam, ut neminem egenum aut ægrotantem (quantum obstare poteritis miseriis) eorum qui pervenerint ad vestram notitiam relinquatis. Quæ supersunt, ubi iam Reges eritis facti, per me docebuntur amplius. Non est quod mortem formidetis corporis. Nam alias quam per eam non transitur ad gloriam, ad quam resurgetis absque dubio. Credite mihi quæ mentiri nullo modo possum.

SOLL. et FAC. – Quod est tibi nomen, o Nympha? Precamur ne celare velis.

NYM. – Veritas ego sum quæ nihil occultum, quod non reveletur suo tempore, sino.¹ Per me videbitis vindictam de Sorbonibus inimicis vestris merito sumptam.

SOLL. et FAC. – Præsto sumus obedire tibi Veritati Sacræ. Nobis impera modo!

NYM. – Est quod Irati fratris etiam intentionem audiam. Is enim officium impendere suum vobis debet, calefaciendo balneo. Poteris, Irate, hoc ipsum efficere simul torrendis carbonibus. Ubi tamen hoc observes, ut priusquam ignis unius cumuli transeat,

alter incendatur alteri, noctu diuque semper calor balneum hoc foveat. Alias actum erit, ac de resuscitatione fratrum tuorum desperatum, et una de Regno tuo. Fac igitur si Rex fieri desideras, ut sedulo naves operam ne refrigescat balneum.

IR. – Faciam quicquid imperasti, nec desinam ignes extruere donec finitum sit opus.

NYM . – Nota primum, ut ab initio tuos ignes remotius quam in operis medio struas, propiusque semper accedas huc.

IR. – Observabo.

NYM . – Datis itaque manibus pollicemini quicquid proposui vobis præsturos fore vos.

SOLL., FAC. et IR. – Pollicemur equidem!

NYM . – Exuite vos igitur, depositisque sordibus in hoc lavacro, balneum intrabitis. Vestes istas aufer, Irate, quibus utere donec opus absolveris. Postea non indigebis. Lavacrum intra Sollicite, Fratrem, Irate, lava, sordibus ablue primum hunc, et denique Facetum. Iam intrate balneum hoc splendidissimum ambo. Claudam ostium seramque sigillo signabo meo, ne quis aperire me præsumat inscia. Patientes estote sudorum algoris et æstu. Vobis fiet ut antea dixi. Valete!

[Dum sedulus Iratus carbonarius laborat, Nympha nunc aliam rem tractat:]

NYM . – Tempus nunc advenisse video quo peccatum istorum nebulonum est revelandum. Furati sunt Bibo sociusque nomine Quadrælamus poculum argenteum Sorbonibus. Occasio datur hoc medio qua falsum contra Facetum inique testimonium a furibus prolatum, una cum eorum impietate qui hoc emerunt, ab ipsis palam fiat.

GYM. – Heu me miserum! Quis poculum hoc abstulit, o Licenciate, vidistine?

LIC. – Quod? Maximum obductum auro?

GYM. – Maxime.

LIC. – A sex iam præterlapsis diebus non vidi.

GYM. – Baculaurie, tu non scis ubinam lateat?

BAC. – Minime. Quum ultimo tot hospites invitasses, bibimus omnes ex eo. Nunquid obserasti post prandium?

GYM. – Ignoro.

LIC. – Poti fuimus quotquot ex eo bibimus. Rogetur si forte coqua lavisset aqua calente, reservassetque suo in armario, postmodum reportare fuisset oblita.

GYM. – Sordida, veni huc! Habes tu poculum argenteum in scrinio tuo servatum?

SORD. – Nullum ego poculum vidi.

GYM. – Deus bone! Quid agendum est mihi?

LIC. – Ad Argentarios ito, perconta si quispiam ad eos venale detulisset.

BAC. – Adhuc aliud est quod agat, nempe roget eos ut si quis veniat poculum illis vendere cupiens, ut retineant.

GYM. – Ibo sane mox...

PRÆTOR – Unde nobis ades, Domine Doctor? Quis sic mæstus appares?

GYM. – Occasionem habeo maximam. Nam furto nobis ablatum est poculum argenteum.

PRÆ. – Nosti furem?

GYM. – Minime, sed iam ab Argentariis venio. Nullus eorum adhuc aliquid percepit.

ARGENTARIUS – Salve Domine Doctor!

GYM. – Tu quoque salve mi amice!

ARG. – Iamiam ad me duo venerunt, argenteam adferentes massam, omnino contusam et malleis fractam, ut minime videri queat an poculi formam vel alterius calicis habuerit antea.

GYM. – Qui sunt illi?

ARG. – Non novi homines.

GYM. – Retinuistine massam?

ARG. – Retinui quidem ea conditione ut binas post horas ad me redirent. Interea probarem igne si purum sit argentum, et quid valeret experirer. Sed cuius ponderis fuit poculum?

GYM. – Triginta sex unciarum cum dimidia.

ARG. – Tantumdem et massa ponderat.

PRÆ. – Fures habebimus. I domum, Domine Doctor.

Non est quod cures amplius. Ego iam quattuor Satellites ad Argentarii domum ire iussurus sum, qui se clam abscondant alicubi donec veniant fures, arripiantque. Valete! Ministri iustitiæ, vestrum quattuor iussu meo domum Argentarii talis adeant, et in angulo quodam latitent. Ubi duo fures venerint pecuniam pro massa quadam Argentea petentes, eos mox in carceres iniicite! ...

SATELLITES – Domine Prætor, capti sunt quos iusseras.

PRÆ. – Tortori committantur examinandi. Plura perpetrarunt indubie facinora...

SAT. – Hæc est eorum torturæ confessio.

PRÆ. – Haha! Ad Principem eundum est... Illustrissime Princeps, duos fures in carceres detrudi iussi, qui poculum argenteum Sorbonibus furati sunt. Inter cætera fassi fuerunt se falsum dixisse testimonium in Excellentia tua præsentia nonnullorumque Civium, adversus filios Titanis famulos Excellentia tua, sed a Sorbonibus instructi seductique pollicitationibus.

PRINCEPS – Teneantur donec opus fuerit eorum confessione!

PRÆ. – Fiet, Illustrissime Princeps.

[Interea satellites sunt apud Gymnasiarchum.]

SAT. – Domine Doctor, fures capti sunt.

GYM. – Quinam sunt?

SAT. – Bibo et Quadrælamбус.

GYM. – Illine?

SAT. – Illi ipsi.

GYM. – Mallem alios fuisse. Non credidissem profecto similes eos fore. Doleo sortem istorum hominum...

Licentiate, tuque Baculaurie, mox eamus ad Capitulum!

LIC. – Quid rursus habet iste?

BAC. – Me latet. Infortunio plenus est, et qui cum eo res habent.

GYM. – Nunquid nos miseros nedum fortuna mala, sed præcipites etiam esse vult?

LIC. – Quid narras?

GYM. – Actum, imo de nostra salute prorsus desperatum est.

BAC. – Dic brevibus quid sit.

GYM. – Heu me miserum, et vos effari nequeo. Bibo et Quadrælamбус detrusi sunt in carceres.

LIC. – Res est hæc tanti momenti propter quam desperare debeas?

GYM. – Nisi hoc foret, non esset quod curarem, etsi laqueo suspenderentur.

BAC. – Quid amplius?

GYM. – Poculi nostri fures ipsi fuerunt.

LIC. – Fac ut poculum redhibeas.

GYM. – Libenter poculum amissem, et bis tantum. Si putassem eos fuisse, non ivissem ad Argentarios ex vestro consilio.

LIC. – Quare, dic omne quicquid periculi scis imminere.

GYM. – Si torqueantur, etiam de falso testimonio minime silebunt.

LIC. – Non scis remedium? Ad Prætorem ito, roga ut eos dimittat, oblato sibi munere.

GYM. – Non faciet.

BAC. – Experire.

GYM. – Venite mecum igitur.

LIC. et BAC. – Eamus!...

GYM. – Domine Prætor, hi fures amici nobis fuerunt, nec putaramus eos tale quid unquam perpetrare velle. Mortem eorum non cupimus, at potius ut liberentur et vivant. Non est nostræ professionis, ut propter nos effundatur sanguis Proximi, velle. Dabimus tibi massam illam poculi, si liberos dimiseris, excusatione dimissionis ab eo sumpta, quod poculum nostrum invenerimus, et ipsi massam illam in terra sepultam repererint.

PRÆ. – Ite, Patres domini vos, domum, et studete melius! Iustitiam non vendo, nec Veritatem in iniustitia detineo prout cuperitis. Argentea massa vobiscum sit in perditionem! ...

GYM. – Nonne dixeram ipsum non facturum? Quid nunc erit consilii?

LIC. – Miror quam ratione Doctor factus sis, qui non possis reperire tuis maxime rebus, cum fuerit opus, remedium, ut semper ad nos confugas. Demum, si quid male cedat, imputare nobis quam fortunæ magis, non erubescas.

BAC. – Profecto parum abesset quin Magistrum imitarer artium.

GYM. – Absit! Vobis amplius nunquam imputabo quicquam. Vestrum nunc adhibete consilium.

LIC. – Miser homo tu, poculum aliud priori simile forma pondereque iube mox extra Civitatem fabricari.

Quo facto, Cives eosdem invita quos habuimus eo tempore quum prius poculum ablatum est. Et ubi

quintum atque sextum quisque nostrum hauserit, ego hoc in scamno sedens a pariete non amobili, sed ab eo

distante parum, cum Baculaurio ludens omnibus cernentibus, mutuis de vacuando poculo disceptationibus,

et elevato melius ut intret, pileum cruciplex inter parietem et scamnum, post tergus decidere sinam in

eundem locum in quem poculum hoc novum posuerimus. Fieri non poterit quin aliquis extraneorum, ubi

me nudato capite viderit, pileum levare non conetur. Quod ubi fecerit, poculum etiam necessario videns

eruet. Sic fiet ut gaudeamus omnes in poculo, diem festum canemus. Resurrexit quod mortuum fuit, etc.²

Testes innumeros habebimus. De massa quidem non est quod simus solliciti.

GYM. – Bonum est hoc sane consilium. At ipsum dare debuisti priusquam ad Prætorem ivissemus.

BAC. – Nemo adfuit quum hæc loqueremur. Deinceps quid ipse contra tot et tantos testes fide dignos, et Cives omnes?

GYM. – Gallina peperit ovum. Canta, Sordida, nobiscum! At quæ de testimonio falso nobis est agendum?

LIC. – Torturæ hoc imponemus quodvis extorquenti. Nimis es sollicitus. Tace modo; fac saltem quod inter nos determinatum est.

[Neque parentes neque Princeps ullum de pueris nuntium per fere annum recipiunt. Suntne vivi an mortui?]

Titan iacet in lecto in mortem usque. Uxor non multo melius se habet. Attamen Nympha tempus absolutum esse existimat. Se ergo præsentat ad Iratum, qui primo lapide amoto, per balneum transparens admiratur corpus unum rubicundissimum, capita duo tamen habens aureis ornata coronis. Unum apparet Solliciti, et alterum Faceti.

Poculum aureum tenens dextra manu tenere Sollicitus, et sceptrum etiam aureum sinistra Facetus, ac binos tantum pedes ambo videntur habere brachiaque bina. Rex in terris potentissimus vocabitur, ad gloriam Dei Altissimi factus.

Statim se conferunt ad parentes, qui de poculo sanitatis eorum bibentes mox sibi animam restitui sentiunt. Ad Principem omnes adeunt. Ille per tubicem proclamatur publicam fratrum et sororum coronationem, tabernaculo alto et amplo erecto. Postea fiunt matrimonia iam antea statuta.

Deinde Princeps causam assumit novi regis contra Sorbones, quorum totam rem dolumque coram populo explicat.]

POPULUS OMNIS – Separa, Princeps Illustrissime, Lupos ab Ovibus. Tollantur qui seducunt nos, et ab his repurgetur sordibus³ hæc tua Civitas. Mittantur ad Tyberim turbulentissimum fluvium, ut ibidem sorbendi Sapientiam suam addiscant melius.

PRINCEPS – Iudicium hoc Regi Potentissimo relinquendum est, cui fecerunt iniuriam.

Rex – Quod ad me attinet, eis remitto libenter omne delictum, nec eorum cupio mortem, sed potius, ut expectentur⁴ donec ad ovile redeant prout eorum socii.

PRIN. – Mittantur igitur in exilium donec resipuerint.

PRÆTOR – At ego fures ex æquo tractaturus sum.

HUIUS ALLEGORIÆ AUCTORIS CONCLUSIO

Sic solet evenire his, qui Veritatis viam evitantes, per semitas ambulant erroneas; suosque proximos ducunt, ac eis moliuntur insidias. Ut scilicet quicquid

contra Veritatis machinati sint, in eorum caput merito (sic disponente Deo) decadat. Nec aliquid excogitare valeant, quod illis in ruinam positum non sit. Ac dum evitare Caribdin cupiant, in Scyllam incidant.

Non alias, et qui Metaphysicam Hermetis Trismegisti, tot et tam variis erroneisque sectantur modis, ignorantiam suam necessario deplorant. Nam unica est via quæ ducit ad Balneum vere philosophicum, in quo fovetur ovum illud Metaphysicum, paucissimis Metaphysicis, aut nullis nostri temporis cognitum. ☞

1. Cf. Matt. X, 26, et Luc. XII, 2.

2. Agitur de dierum festorum Omnium Sanctorum et Resurrectionis apud Catholicos canticis (deformatis, ut patet: poculo pro Domino etc.).

3. Ut ancilla c.n. Sordida, hæc sordes fortasse ad Sorbonum nomen etiam alludunt.

4. Antipapistæ dicere solent: Oves non pascere solet Roma, quibus nulla est lana... Pectine igitur opus est.

PALÆSTRAM LATINAM DENVO PATEFACTAM

– nuntiat Iosephus Antonius Rojas Carrera –

Paucis hisce litteris, egregii Latinitatis cultores, vos certiores facere volebam de nuntio eodemque novissimo ad commentarios periodicos spectanti quibus index *Palæstra Latina*, qui quidem, ut probe scitis, olim in Hispania edebantur inde ab anno 1930 usque, ni fallor, ad 1975, quorum præterea moderatores præclariores fuerunt Emmanuel Jové,¹ ipse commentariorum conditor, et Iosephus Maria Mir.²

Feliciter enim evenit ut, quorundam strenuorum Latinitatis cultorum opera, eorum commentariorum fasciculi, in umbraculis obscurisve bibliothecarum pegmatibus vel etiam in nescioquibus latebris pulvere diu situque obducti, excussis araneis iniquæ oblivionis in lucem huius Retis Universalis tandem aliquando profferrentur. Quorum præterea commentariorum copia variis etiam temporibus augebitur, id quod hac in pagina: <<http://www.culturaclasica.com/?q=palaestralatina>>, qua index exhibetur, facile animadvertere possumus. Etiam licet nobis unumquemque eorum commentariorum fasciculum forma, vulgo .pdf, depromere. Nisi toto, ut aiunt, cælo erro, ei commentarii nobis

documento esse possunt, inter alia, de sermonis Latini usu per magnam modo præterlapsi sæculi partem, de fictis narrationibus quas nonnulli Latinitatis cultores tum temporis in lucem ediderunt, de fabellis scænicis ad usum discipulorum, de carminibus pactis ab egregiis quibusdam poetis, de quorundam lucubrationibus deque disputationibus inter eos disceptationibusque ad huius sermonis lexicon novis temporibus accommodandum, de fatis denique irriti illius incepti, Romæ primum, anno 1933, – teste Iosepho Jiménez Delgado³ symbola quam scripsit ediditque in fasciculo n. 156 *Palæstræ Latinæ*, inscripta vero «Lingua Latina iterum universalis deveniat oportet», pag. 9 – Avennione deinde inde ab anno 1956 ad hanc linguam universalem inter doctos homines restituendam... ☞

1. <http://summa.upsa.es/pdf.raw?query=id:000002385>

2. <http://www.alcuinus.net/circuli/barcino/scripta/mir.htm>

3. <http://www.euskomedia.org/aunamendi/64119>

DE NOVIS LIBRIS

Poematia moderna. Modern Latin Poetry, compiled and translated by WILLIAM COOPER, Wilmington, Scaeva Press, 2014, 298 p.

Lector, gaudebis: tibi enim hic offeruntur 300 carmina Latina a 69 poetis e 17 nationibus oriundis pacta. Et qui poetæ! Schnur, Tusiani, Rädle, Radke, Novák, Immè, Pascoli, von Albrecht, Pekkanen, Mitsuno! totque alii sive optime sive minus noti, quorum opera sic in unum collecta mirum in modum illustrant, non solum vim poesis hodiernæ, sed etiam extraordinariam vitam, quæ in Latinitate semper inest. Ei, qui adminiculo quodam egent in legendo, etiam gaudebunt de eleganti versione Anglica.

Atque ecce, tamquam specimen facere non possumus quin hanc proponamus margaritulam e pagina 234 excerptam:

Omni die, omni mense,
Statione Fordhamense,
Cum per nubes sicut rima
Lux insinuatur prima,
Sine pace, sine pausa,
Laborandi semper causa,
Mihi mobile est cubiculum
Subviarium vehiculum.
Tamquam miseræ sardinæ
Stant personæ matutinæ
Semper notæ sed ignotæ,
Mixtæ mæstæ mutæ motæ,
Oscitantes ter et quater

Mater, filius, filia, pater
Atque avunculus et frater. (...)

Si vis vivere et esse
Laborare nunc necesse.
Laborare laborare:
Quare quare quare quare?
Quid est ista vita brevis
Volans sicut umbra levis?
Quid est dolor, quid est amor,
Quid diurnus iste clamor?
Quid sum ego, quid sunt isti
Viatores? (...)

Iosephus Tusiani, *In vehiculo subviario*

Nonne hæc legentes videmur ipsum tramen metropolitanum eiusque hospites nostris oculis contemplari?
ISBN 978-0-578-16245-4

CLÉMENT DESESSARD, *Le latin*, 2^e édition revue et corrigée par Chantal Guglielmi, Paris, Assimil, Collection Sans Peine, 2015, 728 p., 5 phonodisci, 1 discus mp3.

Tandem aliquando rectores domus editoriae Assimil intellexerunt novam methodum Latinam post Clementis Desessard obitum publicatam fuisse calamitosam... atque ad priorem redire statuerunt, ut iam factum erat in Germania. Editionem ergo anni 1966 in pulchra pyxide iterum invenietis re vera vix mutatam præter paucissimas emendationes, additas exercitationes novosque phonodiscos. Appendices grammaticales clarius, quam antea, sunt expositæ, et additum est lexicon quod in prima editione desiderabatur.

ISBN 978-2-7005-0690-7

TITUS LIVIUS, *Ab Urbe condita XXII. Karthagon Hannibal Rooman porteilla*, editio et translatio facta a Maija-Leena Kallela, Ylermi Luttinen, Teivas Oksala, Helsinki, Basam Books, 2015, 244 p.

Amici nostri Finni strenue pergunt civibus suis textus classicos proponere; in eadem eleganti serie librorum, in qua anno præterito iam editus est Livii liber XXI (vide *Melissam* 185), ecce nunc liber XXII, quo narrantur eventa inter pugnam ad Trasumenum et eam ad Cannas actam.

Longa introductio historica multas notitias affert, etiam litterarias et militares. Sequitur primum auctorum versio Finnica, dein ipsum Livii opus, postea nonnulli textus ad rem pertinentes, bibliographia, index historicus, index nominum; ut in priore libro, nec desunt imagines nec utiles mappæ geographicæ.

Editio ergo Finnis perutilis!

ISBN 978-952-260-432-3

In hoc fasciculo !

De evento nulli priori pari [G. Licoppe] p. 1
Olympus sive De impensa cribranda [M. Cristini] p. 2
Timoleonis disceptatio [D. Blanchard] p. 5
De homine Europæo [G. Licoppe] p. 9
De iucunda fabella alchemica (III) [S. Feye] p. 12
Palæstram Latinam denuo patefactam [I.A. Rojas Carrera] p. 15
Bibliotheca Latina p. 16

*Imago tegumenti: Giulio Romano (1499-1546),
'Deorum cætus circa Iovis thronum' (partim) Mantuæ, Palazzo Te (Wikimedia).*

Libri a Melissa editi, de quibus plura in sede interretiali :

G. LICOPPE, *Academia Latinitati Fovendæ. Eius historia per motum Latinitatis vivæ considerata (1952-2012)*

30 eur.

G. LICOPPE, *De Romano imperio orientali - veræ historiæ conspectus*

25 eur.

H. SIENKIEWICZ, *Anthea*

Sive fabula « Eamus ad ipsum » a Petro Angelinio versa, quam denuo edidit atque illustravit Theodericus Sacré. 20 eur.

Navigare necesse est. Quattuordecim viatoriæ narrationes veste Latina indutæ. Miscellanea Gaio Licoppe dicata edidit Francisca Licoppe-Deraedt. 25 eur.

W. JENNIGES, *Mystagogus Lycius. De historia linguaque Lyciorum*

De Lycia, æqualibus nostris parum nota, conspectus historicus et linguisticus, auctore viro linguarum orientalium peritissimo. 7,5 eur.

G. LICOPPE, *Portus Itius*

In quo agitur de Portu Itio, ubi re vera fuerit, ac de Cæsaris navigationibus in Britanniam. 15 eur.

J. CAPART, *Makita*, in Latinum vertit Francisca Deraedt

De antiqua Ægypto phantastica fabula romancia (de historia cuiusdam muris tempore pharaonum), conscripta a quodam clarissimo Ægyptologo. 15 eur.

G. LICOPPE, *Le latin et le politique. Les avatars du latin à travers les âges*
Adumbratio historiæ linguæ Latinæ, quæ ab antiquis usque ad nostra tempora numquam voluit mori. 10 eur.

MELISSA, folia perenni Latinitati dicata, sexies in anno edita.

Pretium annuæ subnotationis : 20 eur. / 25 \$

BNP Paribas Fortis :

BIC : GEBABEBB, IBAN : BE13 0016 2871 1539



MELISSA